

Juris civilis, ut testes etiam ante litis contestationem excipiantur, si de morte eorum timeatur, ne veritas occultetur, & probandi facultas subtrahatur, ad instrumenta Privilegiorum extendit, & ea ob paritatem rationis, si de ipsorum corruptione timeatur, etiam lite non contestata censet esse renovanda.

94 Extensio comprehensiva, seu interpretatio Legis per comprehensionem, & declarationem fit, si decisio Legis transferatur ad alium casum, vel personam non comprehensam sub verbis, comprehensionem tamen in mente Legislatoris: Siquidem Interpretatio Legis potius menti Legislatoris, quam verbis convenire debet, arg. c. Humana aures 22. q. 7. & alibi, atque amplius declaravimus cit. Lib. II. Tit. XV. §. XVI. d. n. 386. Unde hanc non esse proprie Extensionem recte monet citatus Laymanus, eamque Fagnanus melius appellat comprehensionem seu declarationem.

95 Rursus alia Interpretatio est autoritativa, seu postestativa, seu definitiva, ac judicialis, utpote cui in & extra iudicium fides adhiberi potest, & debet. Alia doctrinalis, seu magisterialis, estque illa, qua per privatos Doctores, vel Magistros obscura verba Privilegii, & mens concedenti Privilegium declaratur.

96 Queritur II. A quo fieri possit Interpretatio Privilegiorum? Resp. Quamvis authentica Privilegiorum interpretatio superveniente dubio spectet ad Principem, vel eum, qui concessit privilegium, prout omnes fatentur, arg. c. Inter alia, de Sentent. Excomm. c. Cum venissent, de Judic. junct. l. fin. c. de Legib. tamen etiam juxta unanimem Interpretationem doctrinalis potest fieri a Theologis, aliisque Juris doctis, ut amplius diximus Lib. I. Tit. II. d. num. 463. Praesertim autem Privilegia Regularium possunt doctrinaliter interpretari a Praelatis Religiosorum, quorum interpretationi possunt Subditi tutam conscientiam acquiescere, ut inter alios notat Herincx quest. 7. de Legib. num. 37. ubi tamen notandum, Praelatos, ut doctrinaliter interpretentur Privilegium, debere esse sufficienter doctos, aut doctiores pro consilio ad interpretandum adhibere.

97 Porro circa Interpretationem generaliter observandum, quando verba Privilegii sunt clara certaque habent significationem, nullam tunc adhibendam esse interpretationem, sed observandum fore tenorem Privilegii, arg. c. Recepimus. h. t. ibi: Inspectienda sunt ergo privilegia, & ipsorum tenor est diligentius attendendus. Concordat c. Porro h. t. ibi: Quod totum ex inspectione Privilegiorum suorum plenius advertere potes, & secundum quod inveneris, ita observes. Omitto similia.

98 Queritur III. An Privilegium uni concessum possit extendi ad alterum? Resp. cum Fagnano in c. Quia nonnulli, de Privileg. nu. 2. & 25. Privilegia non extendi in personam etiam ex identitate vel majoritate rationis. Patet id ex c. Sane. h. t. ibi: Temerarium est, & indignum, aliquem sibi sua auctoritate presumere, quod Romana Ecclesia alicui, certis ratione inspecta singularibus voluit beneficiis indulgere. Concordat Reg. Juris. 74. in 6. ibi: Quod alicui gratiose conceditur, trahi non debet aliis in exemplum, cum suis Concordantiis. Accedit ratio; quia vis & efficacia Privilegii non consistit in ratione, sed in voluntate Principis eximentis quempiam a communi Legge: Unde privilegium dicitur lex privata, & jus singulare per textum num. 3. & seq. relatos.

99 Nec obstat c. ult. h. t. ubi dicitur, quod uni conceditur, aliis negari non debet. Resp. enim cum Glossa ibid. v. quod uni personae, id verum esse, si

de Jure communi quidpiam concessum est, prout ibidem est casus de muliere fluxum sanguinis patiente, & Christi vestimentum tangente: sequis autem esse, si quid culpam competat ex Privilegio personali.

Intellige tamen 1. datam responsum, per se loquendo, & nisi ex subjecta materia, vel tenore Privilegii, five ex usu, aut alia Juris dispositione ejusmodi Extensio intelligatur, prout de se patet, & notat Pirhing h. t. n. 21.

Intellige 2. nisi Privilegium aliquoquin foret inutile Privilegiato: Privilegium enim semper debet aliquid conferre, atque ita interpretari, ut non sit inutilis, frustranea, ac defectuosa indulgentia Principis, arg. c. In bis de Privileg. junct. Glo. Glo. ibid. v. Ex indulgentia. Hinc licet in materia dividua socius non gaudeat privilegio socii, arg. c. Quidam 32. h. t. Nichil minus in materia individua generaliter Privilegium uni ex sociis concessum trahitur ad omnes, ut docet, ac pluribus exemplificat Fagnanus c. Cum propter, de Jure pat. num. 41. & 57. ne videlicet Privilegium aliquoquin redderetur inutile: sic enim causa individua plurium Laicorum, & unius Clerici debet agitari coram Jure Ecclesiastico.

Quin imò etiam propter communionem non Privilegiatus sortitur naturam Privilegiati, arg. l. Si communem. Quammodum servit. amitt. & tradit Glossa fin. in c. un. de Jure patronat. in 6. ac Fagnanus loc. cit. n. 27. id pulchrè exemplificans de Jure patronatus mixti: nam cum Patronus laicus habeat ad praesentandum duntaxat quadrimestre, & Patronus Ecclesiasticus semestris, si mixtus sit Patronatus, uterque Patronus habebit semestris: unde in mixtis praevalet qualitas sacris favens, & per quam jus alterius non laeditur ex communiione.

Intellige 3. datam num. 98. responsum de Extensione extensiva, & proprie dicta, five (ut alii loquuntur) de Interpretatione per extensionem. Siquidem si Privilegium sit favorabile, ac merum beneficium Principis, sit lata interpretatio, quantum patitur verborum proprietatis; ita ut habeat locum in omnibus, qui sub ampliori verborum significatione continentur, & in quibus eadem ratio concurrat; idque non per extensionem, sed per comprehensionem & declarationem, ut post Baldum alioque notat Fagnanus in c. Quod nonnullis de Privilegiis num. 28. Sed occasione praemissorum mox

Queritur IV. Qualiter facienda sit Interpretatio Privilegiorum? Strictè nempe, vel late? Resp. Ad hoc quaesitum patere ex Lib. I. Tit. III. de Rescriptis. §. 5. d. n. 130. item ex eodem Tit. III. §. VII. per totum, ubi vide, ne fiat superflua repetitio.

Queritur V. Quomodo in Interpretatione Privilegiorum sit servanda proprietatis verborum? Ante responsum suppono cum communi, quòd Interpretatio Privilegiorum semper fieri debeat in propria verborum significatione, nisi major omnino sit necessitas, ut Privilegium non sit inutile, sed aliquid operetur. Ratio hujus est; quia aliquoquin nihil omnino certi haberetur, si verba pro libitu ad improprias significationes extendere liceret. Hoc praenotato,

Resp. I. Proprietas verborum, secundum quam interpretanda sunt Privilegia, desumenda est ex usitata significatione, vel usu communi, ac secundum Jus Privilegio proportionatum; ita videlicet, ut si sit Privilegium Papae, secundum Jus Canonicum; si verò Privilegium Principis saecularis, secundum Jus Civile fiat interpretatio. Ita cum alii Pirhing h. t. numer. 25. Et conformiter dictis intelligi debet commune illud dictum Docto-

Doctorum, fundatum in textibus Juris n. 97. relatis: Privilegia non plus operantur, quam verbis expriment; videlicet late vel strictè acceptis, juxta quod Privilegium vel est favorabile, vel odiosum, & servata propria verborum significatione communi, vel saltem juridica, nisi specialis necessitas cogat verba improprie.

106 Resp. II. Privilegium merè favorabile extendendum est, quantum fieri potest, salvà verborum proprietate, juxta materiam subjectam, & usum juridicum: Privilegium verò odiosum est restringendum, ut quam minimum operetur, salvà tamen verborum proprietate, ita videlicet, quòd quidem non careat omni effectu, sed habeat praesens necessarium: prout amplius dictum cit. Lib. I. Tit. III. de Rescriptis d. n. 30. item Tit. II. §. XVII. per totum.

107 Queritur IV. Qualiter intelligenda sit clausula confirmatoris Privilegiorum Bullis apponi solita, Dummodò sint in usu, seu quatenus sint in usu? Ante responsum notandum, quòd, quamvis plures Pontifices confirmarent Regularium Privilegia, tamen jam à longo tempore, per certum verò à tempore Gregorii VIII. soleant apponeri Clausulas, Quatenus, vel Dummodò sint in usu: Item Dummodò sacris Canonibus, & Decretis Concilii Tridentini non adveniant; Item, Dummodò non sint revocata, ut patet ex Confirmatoriis Bullis Gregorii XIII. Pauli V. Clementis VIII. & Innocentii XI. supra allegatis. Hinc omnino praestat scire, quid importent, & quomodo intelligenda sint haec clausulae; quarum proin primam in hoc quaesito, reliquis in subsequentibus examinabimus. Itaque

108 Resp. I. Clausula, Quatenus sunt, vel Dummodò sint in usu, id importat, & insinuat, quòd Papa, vel alius Princeps Privilegia, quae per non usum, vel usum contrarium jam cessarunt, aut amissa fuere, consequenter non amplius sunt in usu, nolite de novo confirmare, seu confirmando de novo revalidare. Roderiquez Tom. I. qq. Regul. q. 8. art. 2. Donatus Tom. I. p. 1. Tr. 11. q. 12. Laurent. de Peyrin in Declarat. Privileg. Ordin. Minim. Tom. 2. super Constitut. I. Gregorii XIII. n. 1. & alii. Ratio est, quia Clausula haec debet aliquid significare, & operari, cum alias frustra membranam occuparet; non apparet autem quid aliud significare aut importare deberet; ergo.

109 Quenam autem Privilegia, & quando per non usum, vel usum contrarium censentur esse amissa, & cessare, habetur infra §. 10. d. nu. 203. ubi nu. 205. & seq. asseritur, & probatur, quòd Privilegia, quae sine aliorum gravamine concessam meram gratiam continent, per non usum, vel usum contrarium neutiquam amittantur, ubi etiam enarrantur quae iam necessarii requisiti ad hoc, ut Privilegia in aliorum praesudicium concessa per non usum, vel usum contrarium cessassent, vel amissa dicantur. Videlicet 1. Quòd fuerit occasio utendi Privilegio. 2. Quòd talis occasio scienter fuerit omissa, seu quòd quis siverit se habere Privilegium agendi, vel omittendi hoc, vel aliud, & tamen neglexerit. 3. Quòd voluntarie, seu liberè, non verò per violentiam, infirmitatem, aut absentiam impeditus omiserit uti Privilegio. 4. Quòd debito tempore fuerit voluntarius non usus, vel usus contrarius Privilegii. 5. Quòd non usus, vel usus contrarius Privilegii provenient ab aliis, qui renuntiare possunt Privilegio, prout amplius loc. cit. ubi vide.

110 Invenit hic colliges, quòd Clausula, Dummodò sint in usu, vel quatenus sunt in usu, ferè nunquam in aliquo obstat Privilegiis Regularium: Tum quia plerumque eorum Privilegia sunt merè gratiae sine aliorum gravamine concessa, v. g. Privilegium Reiffenstuel Jus Can. Tom. V.

absolvendi, dispensandi, suscipiendi extra tempora, vel non servatis Interstitiis Ordinibus, celebrandi in Altari portatili, benediciendi &c. quae & alia Privilegia in meris gratis conscientiam cum per non usum, vel usum contrarium neutiquam cessent, vel omittantur, praefata Clausula Bullae confirmatoriae inserta eis nihil obest, consequenter circa hujusmodi Privilegia non est attendenda: Tum quia Regularium Privilegia etiam cum gravamine aliorum concessa non uni personae, sed toti Religioni, vel certo generi personarum, v. g. Superiorum illius, Lectorum &c. conceduntur, consequenter etiam datà occasione unus vel alter Privilegio liberè non utatur, vel aliam contrarium exerceat, Privilegio Communitatis minime praedjudicat.

Secus foret, si Privilegium odiosum uni soli personae Regulari, vel certo alicui Monasterio in specie cum gravamine alterius esset concessum; tunc enim per non usum, vel usum contrarium, concurrentibus requisitis amitti potest.

Colliges ulterius, quòd ex non usu impugnari nequeat Privilegium dispensandi super impedimento Arbitratis etiam in primo gradu, juxta dicta Lib. IV. in Appendice §. 11. d. n. 542.

Queritur VII. Quomodo intelligenda sit? & quid operetur Clausula? Dummodò sacris Canonibus, & Decretis Concilii Tridentini non adveniant. Resp. I. Per hujus Clausulae verba sacris Canonibus non intelligi sacros Canones in Corpore Juris communis clausos, seu contentos, sed intelligi Canones Concilii, ita ut sensus sit, Dummodò sacris Canonibus Concilii Tridentini, & Decretis Concilii Tridentini non adveniant. Barbosi de Clausulis Arist. 124. n. 2. Roderiquez Tom. 1. qq. Regul. q. 8. art. 9. Donatus Tom. 1. p. 1. q. 14. Miranda Tom. 2. q. 52. art. in Respons. cum communi & certa aliorum. Ratio est; quia, si per citata verba sacris Canonibus intelligerentur Canones, & Decreta Corpori Juris communis inserta, nulla, & otiosa, sibi que contradictoria esset omnis confirmatio Privilegiorum, eò quòd juxta dicta supra n. 8. omnia Regularium Privilegia proprie dicta adveniant Juri communi; quae proin Privilegia confirmarent, & non confirmarent suis bullis Pontifices, sicut sibi contradicerent. Quare Barbosa loc. cit. Clausula §. 1. num. 3. post Sorb. loc. cit. bene advertit, neminem sanae mentis non videremus, quam absurdum, & à mente Pontificum confirmantium Privilegia Regularium alienum sibi dicere per hujus Clausulae verba sacris Canonibus intelligi Canones Corpori Juris insertos.

Confirmatur: Consuetudo est optima Legum interpret. l. 37. ff. de Legib. atque consuetudine & praxi totius Orbis Christiani habetur, quòd Regularia validè & licite praesentent sua Privilegia sacris Canonibus Corpori Juris communis expressè adversis, dummodò Concilii Tridentini sacris Canonibus, & Decretis in sensu infra ponendo non adveniant.

Cur autem Pontifices in suis Bullis confirmatoriis adhibeant verba sacris Canonibus, & Decretis. Ratio est: tum quia Concilium Tridentinum constat Canonibus & Decretis; tum quia etiam ipsa Decreta, & Canones subinde vocat, ut patet ex Sess. 14. de Reformat. in fine Proemii, ubi subsequenter Decreta de Reformatione Canonum vocat illis verbis: Sacrosancta Synodus, hos qui sequuntur Canones statuendos, & decernendos duxit.

Resp. II. Plures, sique Classici Doctores infra §. 14. num. 130. citandi probabilissimè, & solidè defendunt, quòd per praefata Clausulae verba illa, Dummodò Decretis Concilii Tridentini non adveniant, non intendant Pontifices eximere omnia & singula

singula Regularium Privilegia, quae Concilio Tridentino, vel Decretis illius qualitercunque adversantur, sed illa duntaxat, quae à Concilio expressè fuere revocata, qualia sunt omnia, quae contraria sunt Decretis Sess. 25. de Regularibus, sicut & illa, quae adversantur praecedentium Sessionum Decretis postis cum Clausula non obstantibus Privilegiis, vel simili; uti magis dicitur infra §. seq. à num. 139. Ratio Conclusionis est; quia hoc ipso, quod Concilium Tridentinum aliqua Decreta fecerit cum Clausula Non obstantibus Privilegiis, seu alia simili Clausula Privilegiorum derogatoria, seu revocatoria; alia vero sine hujusmodi Clausula, merito colligere licet, praefatum Concilium Tridentinum quoad haec Decreta nullam Clausulam Privilegiorum revocatoriam, seu derogatoriam habentia non intendisse privilegia eis contraria revocare, sed potius intendisse ea relinquere in suo valore; alias frustra & superflue in aliquibus Decretis appositisset derogatoriam Clausulam; atqui si intendit quoad memorata Decreta, Privilegia relinquere in suo valore, privilegia Decretis hujusmodi proprie non adversantur, uti consideranti patet; ergo.

- 117 Confirmatur ex Bulla Gregorii XIII. Pium & utile, & Bulla Pii V. Est mendicantium, per argumenta Lib. I. Tit. XI. n. 49. & 50. allegata: ex quibus colligitur quoque, quod Bulla Gregorii XIII. Pium & utile, nostris privilegiis etiam ideo non oblit. quia idem Pontifex per aliam subsequentem Constitutionem de novo concessit omnia & singula nostra privilegia olim concessa, non obstante sua, & aliorum praedecessorum revocatoria, uti patet ex Bulla nu. 83. allegata, quae aliquot annis post Bullam In tanta, emanavit, cum haec jam 1573. illa vero anno 1575. fuerit edita.
- 118 Confirmatur Conclusio ulterius per doctrinam §. seq. quae ostenditur Concilium Tridentinum non revocasse omnia privilegia alicui ex suis Decretis qualitercunque contraria, sed illa duntaxat, quae in praecedenti Conclusionem allegavimus.
- 119 Queritur VIII. Quomodo intelligenda sit? & quid importet Clausula, Quatenus, & dummodo non sint revocata, vel sub aliqua revocatione comprehensa? Resp. Hanc Clausulam id importare, & significare, quod Papa nolit confirmare privilegia, quae per Legem, Constitutionem, vel Decretum generale, aut speciale expressè, vel tacitè fuere revocata, & de novo non amplius concessa, vel confirmata. Ita communis. Dicitur autem notanter, & de novo non amplius concessa, vel confirmata. Ratio est; quia etsi privilegia aliqua expressè, vel tacitè per Legem, aut Decretum revocentur, tamen si de novo iterum concedantur, praesertim cum Clausula prioris revocationis derogatoria, à Clausula, Dummodo non sint revocata, non afficiuntur, sed ea non obstante verè confirmari censentur. Ratio patet; quia cum talis nova concessio novam importet gratiam, novumque privilegium, consequenter à priori revocatione tale novum privilegium non afficiatur, ac postea, uti supponitur, necdum revocatum habeatur, nullatenus revocatum censetur, sicut sub Clausula: Dummodo non sint revocata, minimè comprehenditur, sed ea non obstante omnino confirmatur. Hinc ad ultimam revocationem, vel concessionem attendendum, & juxta illam dicta Clausula intelligenda est.

## §. VI.

De Revocatione Privilegiorum ut sic, & in specie de illa, quae facta est à Concilio Tridentino.

## SUMMARIUM.

- 120 Privilegium merè gratiosum Subdito concessum potest à Concedente, vel ejus Successore iterum revocari ex justa causa. Solvitur instantia de Donatione, à qua privilegium differt. Ibid.
- 121 Privilegium etiam merè gratiosum non Subdito concessum revocari amplius nequit. Privilegia ab Imperatoribus concessa Ecclesiis nequeunt amplius revocari. Ibid.
- 122 Nec Privilegia remuneratoria, vel per modum pacis, vel contractus etiam Subdito concessa.
- 123 Revocatio Privilegiorum alia est tacita, alia expressa: Et haec rursus alia communis, alia extraordinaria.
- 124 Per clausulam Generalem communem, non obstantibus quibuscunque Privilegiis, non censentur revocari privilegia in Corpore Juris clausa.
- 125 Neque privilegia extra Corpus Juris, si subre concessa cum clausula, quod revocata non censentur, nisi expressè eorum fiat mentio. Bene tamen per clausulam extraordinariam, Non obstantibus Privilegiis sub quacunque forma conceptis: vel etiam quorum eorum specialis mentio fieri deberet. Ibid.
- 126 Per nullam ex praedictis clausulis revocantur privilegia per modum contractus, vel intuitu meritorum concessa.
- 127 Revocatio Privilegiorum tacita quid sit? & quomodo fiat?
- 128 Per Decretum, vel Legem aliquam universalem posteriorem non censentur revocari priora privilegia eidem contraria, nisi in Legge exprimat.
- 129 Vel nisi privilegium sit in Corpore Juris clausum.
- 130 Si contra privilegium imperator Rescriptum, nulla facta illius mentione, Rescriptum est subreptitium.
- 131 Nisi prius privilegium sit generale, & posterius speciale.
- 132 Per sententiam Privilegio contrariam non revocatur, sed ut nullum reprobatur Privilegium.
- 133 Si Revocatio Privilegii sit per Legem aliquam generalem, statim à tempore promulgationis habet effectum.
- 134 Si verò sit ab homine privatim, primum tunc valet, quando imminet Privilegiato.
- 135 Proponitur status controversa, an & quae Privilegia à Concilio Tridentino sint revocata.
- 136 Fulgissimum est à Concilio Tridentino omnia Regularium privilegia esse revocata, cum plurima ab eodem sint confirmata.
- 137 Regularium privilegia omnia, quae adversantur Decretis Sess. 25. de Regularibus, sunt revocata.
- 138 Sicut & illa, quae praecedentium Sessionum adversantur Decretis clausulam privilegiorum sufficienter derogatoriam, seu revocatoriam habentibus.
- 139 Non verò illa, quae contraria sunt ejusdem Concilii prioribus Decretis absque derogatoria privilegiorum clausula postis.

140 Quia

- 140 Quia Lex generalis non derogat prioribus privilegiis extra Corpus Juris postis, nisi exprimat.
- 141 Et quia Concilium aliqua Decreta cum, aliqua sine derogatoria clausula ponit.
- 142 Item quia aliis etiam derogaret consuetudinibus particularibus.
- 143 Et sibi ipsi contradiceret.
- 144 Probatur etiam consuetudine passim vigente.
- 145 Ponitur, & solvitur Obiectio de revocatoria privilegiorum clausula à Concilio posita.
- 146 Respondetur etiam ad Bullam Pii IV.
- 147 Regulares nec in Foro conscientiae uti possunt suis privilegiis à Concilio Tridentino expressè revocatis.
- 148 Bene verò illis, quae quidem sunt contraria alicui Decreto Concilii Tridentini, ab eo tamen non subre revocata.

120 Queritur I. An quodlibet Privilegium semel concessum possit denovo revocari à Concedente, vel ejus Successore? Resp. I. privilegium merè gratiosum, sive omnino gratis à Principe concessum Subdito contra vel praeter Jus commune, potest à Concedente, vel ejus Successore revocari: valide quidem etiam absque alia causa, quamvis non licitè, nisi justa causa interveniat. Felinus in c. Novit. 13. de Judic. num. 8. Sylvest. y. privilegium. nu. 10. dicit. 7. Suarez Lib. 8. de Legib. cap. 37. nu. 2. Sanchez de Matrim. Disp. 33. nu. 5. Pithing h. t. nu. 187. cum communi. Siquidem haec est ordinaria natura Privilegiorum maxime gratiosorum, ut sub tacita revocationis conditione dari soleant, juxta dicta n. 17. atque defamitur ex c. Decret. de Regul. Jur. in 6. ibi: Decet concessum à Principe esse mansurum. Nam ibidem ly decet, quantum ad Principem ponitur proprie; ita ut decentiam importet, non necessitatem.

Nec obstant, quod Donatio inter vivos semel perfecta & acceptata non amplius revocari possit, nisi ob gratitudinem Donatarii, arg. cap. ult. de Donationi. cum concordantibus, prout amplius dictum Lib. III. Tit. 24. de Donation. Resp. enim, esse disparitatem inter Privilegium & Donationem: nam vi Donationis perfecte & acceptatae mox transit dominium rei donatae in Donatarium, e contra verò jus, quod cuiuspiam conceditur vi Privilegii omnino gratis à Principe concessi, seu merè gratiosi, non transit in dominium privilegiati, sed semper pendet à merè voluntate Principis privilegium concedentis; ideoque ab illo revocari potest (non minus, ac lex à fe, vel suo Antecessore lata) validè quidem etiam sine causa, quamvis non licitè ac decenter, adeoque non sine culpa saltem veniali. Pithing, & Doctores citati.

121 Dixi in Conclusionem notanter 1. privilegium Subdito concessum. Nam Privilegium concessum non Subdito non potest revocari amplius per ipsum Concedentem; quia postquam fuit acceptatum, transit in pactum, seu contractum, quo proprie dictum jus acquiritur privilegiato, quod non subito aufertur nequit, ut post Layranum cit. cap. 23. num. 24. argumentatur Pithing. h. t. nu. 186. Sive, quia tale privilegium habet vim suam mox. cum pervenerit in notitiam privilegiati, arg. c. 1. §. Ex parte. De concessione. praebend. in 6. Et sic non potest amplius revocari, cum fit et jus questum, & Concedens non fit dominus, seu superior, prout tenet & argumentatur Abbas in c. Novit ille de Judic. n. 23. post Archidiaconum, & Joan. Andream. Idem tenet Glossa in c. Decet. de Reg. Jur. in 6. id exemplificans de Privilegiis, quae Principes, & Imperatores saeculares concesserunt Ecclesiis: quia (inquit) tale Reiffenstuel Jus Can. Tom. V.

privilegium concessum non Subdito est contractus ab initio voluntarius, sed ex post facto est necessitas. Ita loquitur Glossa. Excipit tamen Pithing h. t. n. 186. cum Felino, & Suarezio casum, quo privilegium postea vergeret in notabile damnum Principis concedentis: quia tunc privilegium potest revocari; nam conditio haec ex natura rei intelligitur inclusa in prima privilegii concessionem.

Dixi notanter 2. privilegium merè gratiosum, s. 122 ve omnino gratis concessum. Siquidem privilegia etiam Subditis data in promium, seu remunerationem meritorum, aut praestitorum obsequiorum, item privilegia concessa per pactum, seu contractum onerosum (ut si Princeps pretio accepto privilegium concedat,) vel etiam facta per contractum lucrativum, v. g. per donationem absolutam cum translatione domini alicujus rei, vel juris (ut cum datur, seu donatur alicui castrum, vel jus alicujus Vectigalis seu Tributii) non amplius possunt revocari, neque Subdito invito auferri, nisi ex gravi causa spectante ad bonum commune. Ita Pith. b. t. n. 187. Engel n. 22. ac alii passim. Ratio est; quia Princeps tenetur servare pacta cum Subditis iura: & quod datur in remunerationem praestitorum laborum, non censetur gratis datum, sed vim pacti habet; saltem si merita aliunde non erant debita, liberaliter exhibita, & talia, ut Princeps ex justitia commutativa quodammodo teneatur illa re compensare; si enim merita aliunde erant debita, consequenter privilegia intuitu illorum non ex justitia, sed liberaliter concessa, tunc juxta Donationum Tom. I. p. 1. tr. 12. q. 9 & alios ab eo citatos possunt revocari absque gravi causa bonum commune tangente.

Queritur II. Quotplex sit? quomodo fieri possit, ac soleat? Quorum? & quando facta censentur Revocatio privilegiorum? Resp. I. cum Laymano loc. cit. & aliis. Revocatio privilegii est duplex, una expressa, alia tacita. Prior seu expressa rursus est duplex, specialis videlicet, & generalis, sicut fieri potest & solet specialiter, & generaliter. Specialis est, quando hoc vel illud privilegium in specie revocatur. Generalis est, & generaliter fit, quando in genere omnia revocantur privilegia Constitutioni, & Decreto alicui contraria. Quod iterum dupliciter fieri potest, & solet, nempe vel per communem Clausulam generalem dicendo: Non obstantibus quibuscunque privilegiis, vel per aliam similiter generalem fortiore tamen, & extraordinariam, dicendo: Non obstantibus privilegiis quibuscunque sub quacunque verborum forma conceptis, vel cura addito: Etiam si eorum mentio ad verbum fieri deberet.

Resp. II. Per Clausulam communem generalem, Non obstantibus quibuscunque privilegiis, Legis publicae insertam, absque alia expressa, & specifica mentione non tollantur privilegia clausa in Corpore Juris, & certis personis concessa. Suarez de Legib. lib. 3. cap. 18. n. 1. Pith. h. t. n. 189. Engel h. t. n. 21. Layman. loc. cit. n. 25. & alii passim, post Glossam in Authen. qua in provincia C. de Criminib. v. Illic omni privilegio. Rationem dant: Tam quia privilegia clausa in Corpore Juris non sunt simpliciter privilegia, sed etiam Leges publicae: Tum quia correctio Jurium est vitanda, quantum fieri potest, neque facile praesumenda, nisi clarè exprimat, arg. c. Cum expediat. de Elect. in 6. Unde per generalem derogationem non censetur tolli jus speciale prius, habens rationem specialem; alioquin si Princeps id tollere voluisset, fecisset ejus mentionem specialem.

Resp. III. Insuper privilegia illa, quamvis in Corpore Juris non contenta, quibus insertum est, Gg 2 quod

quod revocata ceteri non debeant, nisi fiat specialis & expressa eorum mentio, aut de verbo ad verbum, vel alio consimili modo. Hæc, inquam, privilegia non censentur revocata per Clausulam illam generalem, *Non obstantibus quibuscunque privilegiis*: bene tamen, si dicatur: *Non obstantibus quibuscunque privilegiis sub quacunque verborum forma conceptis*: vel sic: *Etiã de verbo ad verbum debeat de ipsi fieri mentio*, aut hujusmodi. Ita post Abbatem in c. *Cum instantia de Censib. nu. 5. Layman. loc. cit. n. 26.* & alii Doctores passim, patetque ex textu Clausularum harum privilegiis vel Revocationi eorum inferatur, hoc ipso enim, quod Pontifex privilegium concedens dicat, ei non derogari, nisi specialis & expressa, aut de verbo ad verbum mentio eorum fiat, vult ei non derogari, nisi talis mentio fiat: & econtra, si idem, vel Successor in Revocatione dicat, Privilegium revocari, est dictam Clausulam habere, intendit revocari non obstante tali Clausula; ergo.

126 Resp. IV. Per nullam ex prædictis Clausulam generalem censentur revocata privilegia per modum contractus concessa, vel in remunerationem meritorum, nisi saltem in genere addatur Clausula, *Etiã per modum contractus fuerint concessa, vel etiam meritorum intuitu*. Sanchez de *Matrim. lib. 8. Disp. 33. n. 8. Suarez de Legib. lib. 8. cap. 37. nu. 3. Donatus Tom. 1. p. 1. tr. 13. q. 9. Pirhing. h. t. n. 189.* cum communi aliorum. Ratio est; quia cum juxta dicta n. 122. talia Privilegia ordinariè revocari non possunt, nisi ex causa gravi ad bonum publicum pertinente, revocata ceteri non debent, nisi specialiter exprimat. Accedit, quod talis Revocatio cedat in præjudicium tertii, auferendo ei *ius questum*, consequenter non præsumitur voluntas revocandi, nisi exprimat.

127 Resp. V. Quantum nunc attinet ad tacitam Revocationem Privilegii, ea fit per actum Principis directe contrarium, seu qui non potest subsistere sine Revocatione Privilegii antea concessi; dummodò possit præsumi, eam scire privilegium antea concessum, illiusque recordari, arg. l. *Idem Ulpianus. ff. de Excusationibus Tutorum &c.* ac docent passim Doctores, qui quoad hanc tacitam privilegiorum revocationem quosdam ponunt Regulas, ex quibus est

128 Regula prima. Per Legem generalem non censetur Princeps velle derogare particularibus locorum, vel personarum, nec ab eis in Corpore Juris communis non clausis, sed aliã viã, v. g. per speciale Rescriptum, Indultum, Constitutionem, aut Bullam concessis privilegiis, nisi exprimat. Suarez *lib. 8. de Legib. cap. 39. nu. 2. Layman. lib. 1. tr. 4. cap. 23. n. 27. Pirhing. h. t. n. 191. Abbas. & alii Canonistæ, in c. 1. & c. Cum ordinem de Rescript.* cum Glossa in c. *Veniens. 19. de Prescript. arg. c. Veniens. & cap. 1. de Constitut. in 6.* ac notat Glossa *ibid.* communiter recepta. Ratio est, quia Princeps vel Papa præsumitur non habere notitiam talium privilegiorum in Corpore Juris non clausorum.

129 Aliud est de Privilegiis in Corpore Juris clausis; cum enim Princeps censetur Jura communia in scrinio pectoris sui habere, præsumitur etiam scire, consequenter revocare privilegium in Corpore Juris clausum, si legem generalem eidem contrariam addit, uti bene advertunt Doctores citati.

130 Regula secunda. Si contra privilegium prius concessum impetretur ab alio novum privilegium, vel Rescriptum contrarium, nullã factã mentione prioris, censetur hoc posterius esse subreptitium, adeoque invalidum, arg. c. *Cum ordinem 6. de Rescript.* juncto c. *Ex parte. il. 1. de Officio*

*Delegati. & amplius declarat Glossa fin. in c. 1. de Rescriptis.*

Fallit tamen hæc Regula, si prius privilegium fuit generale, posterius verò speciale, arg. c. 1. *de Rescriptis. & c. Dudum. 9. Nos igitur de Prebend. in 6.* Siquidem generi per speciem derogatur, ut habet Reg. 34. *Jur. in 6.* ac notatur citatis locis. Sed hoc ipsum limitat Engel. h. t. num. 21. nisi per speciale privilegium alteri in jure questio grave præjudicium oriretur, arg. c. *Ex tua. de Filiis Presbyterorum.*

Regula tertia. Per sententiam latam à Principe contra privilegium non revocatur privilegium, sed potius reprobatur; id est, tanquam subreptitium, vel aliis infirmum rejicitur, non autem tanquam prius validum auferatur, seu revocatur, arg. c. *Suborta. de Sentent. & re judic.*

Queritur III. Quo tempore Revocatio privilegii habeat vim suam, siue effectum? Resp. I. Quando Revocatio privilegii, Indulgentiarum, vel hujusmodi gratiarum, fit per Legem communem, sufficit ad ejus validitatem legitima promulgatio dicte Legis, ita ut in publicam notitiam devenire possit, neque opus est, eam singulorum acribus inculcare, arg. c. 1. *de Postulation. prælatorum. & cum aliis Layman. lib. 1. tr. 4. cap. 23. num. ultim.* Unde quavis aliqui in particulari adhuc, & quidem invincibiliter ignorent Legem, seu ejusmodi Revocationem privilegii, tamen illud amplius non proderit, neque valide quis eo utetur, uti bene notat Pirhing. h. t. n. 197.

Resp. II. Si tamen Revocatio privilegii fit ab homine, siue privatim, & non per Legem communem, non prius ipsa habet effectum, antequam revocatio illa privilegii, aut alterius gratiæ deveniat ad notitiam Privilegii. Ita citati Authores & alii communiter. Ratio est: tum quia aliquoquin possent oriri plura incommoda; ut si Episcopus dedisset simplici Sacerdoti licentiam assistendi Matrimonio, eamque revocaret inficio illo Sacerdote. Tum quia id ipsum haberet l. *Si forte. ff. de Officio Præsidis* ibi: *Si forte Præses Provinciae manusierit, vel Tutorem dederit, priusquam cognoverit Successorem advenisse, erunt & hæc rata.*

Queritur IV. An, & quomodo Privilegia Regularium revocata fuerint à Concilio Tridentino? Ante Responsum nota, hanc Questionem his temporibus summè prædicam, esse non minùs controversam, quam odiosam nonnullis per se rectè vel debite non intelligentibus, vel non satis perpendentibus, vel certe erga Regulares minùs affectionatis, absque ullo fundamento effutire non dubitantibus, Regularium Privilegia omnia, vel serè omnia per Concilium Tridentinum esse revocata; cum tamen certum sit, plurima Regularium Privilegia per memoratum Concilium minime tacta, minùs revocata, etiamnum in suo pleno esse vigore. Quibusdam econtra Privilegiis olim concessis plus justo inhærentibus, indeque Revocationem Privilegiorum factam nimis extenuantibus, & saltem pro Foro interno serè penitus extinguere voluntibus; cum tamen rursus certum sit, aliqua Privilegia à præfato Concilio Tridentino pro utroque Foro revera esse revocata, juxta dicenda infra. Quare pro simplici & genuina veritate eruenda Questionem hanc Deo dante, solidè & exactè discutere conabimur, præmisã tamen humillimã protestatione, quòd per hoc laudatum Concilium minime gloriare, sed quid Doctores de hac Questione sentiant, quidque veritati magis consentaneum sit, proponere intendamus, cuncta judicio Ecclesiæ omni debita cum submissione subjicientes. Hoc notato,

Resp.

136 Resp. I. Sicut falsissimum est ver Concilium Tridentinum esse revocata omnia Regularium Privilegia; ita etiam certissimum est, plurima eorum Privilegia ab eodem Concilio non esse revocata, sed adhuc in suo pleno esse vigore, & ab ipsomet Tridentino Concilio confirmata. Hæc Conclusio apud omnes verè Doctores est extra omnem controversiam, & ponitur tantum ad justè confundendos quosdam in hoc sanè imprudentes, qui, dum Regulares in certis causis sua Privilegia humiliter, & rectè allegant, ea statim indiscriminatim explodunt dicendo: Regularium Privilegia post Concilium Tridentinum non amplius valere, sed omnia ab eo esse revocata. Probatur autem breviter, & efficaciter ex ipso Concilio Tridentino, Sess. 25. de Regular. cap. 20. ad finem. ubi in plurimis Privilegia Regularium firma & illæsa afferens, ac denuò confirmans ita ait: *In cæteris omnibus præfatorum Ordinum Privilegia, & facultates, quæ ipsorum personas, loca, & Jura concernunt, firma sint, & illæsa.* Quid clarius ad propositum? Confirmatur universaliter praxi omnium Ordinum, Privilegiis suis plurimis liberè utentium. Accedit, quòd summi Pontifices eadem Privilegia passim confirmant, & nonnulla tantum excipiunt.

137 Resp. II. Omnia & singula Regularium Privilegia ante Concilium Tridentinum concessa, quæ adversantur Decretis contentis in Sessione 25. de Regularibus, & Monialibus, ab eodem Concilio sunt revocata; consequenter Regulares omnes exactè servare tenentur illa Decreta, nisi post dictum Tridentinum novum contra illa, vel illorum aliqua habere concessum Privilegium. Ita unanimis & certa; patetque clarè ex eodem Tridentino Sess. 25. de Regular. cap. 22. ubi ab omnibus Regularibus omnia & singula in superioribus Decretis contenta observari præcipit &c. *Non obstantibus eorum omnium, & singulorum Privilegiis, sub quibuscunque verborum formulis conceptis, ac More Magnium appellatis, etiam in fundatione obtentis, nec non Constitutionibus & Regulis etiam juratis, atque etiam consuetudinibus, vel præscriptionibus etiam immemorabilibus &c.* Quæ Privilegiorum revocatoria verba, si non de omnibus totius Concilii etiam superioribus, seu præcedentibus Decretis, saltem de omnibus & singulis Decretis Sess. 25. de Regularibus, editis intelligenda, consequenter non obstantibus Privilegiis observanda sunt.

138 Resp. III. Insuper illa ante Tridentinum concessa Regularium Privilegia, quæ adversantur alicui, cujusque tandem Sessio Concilii Tridentini, Decreto tali, quod habet supra dictam, vel similem Clausulam Privilegiorum revocationem, *Non obstantibus quibuscunque Privilegiis &c.* ab eodem Concilio Tridentino revocata censentur. Rursus communis & certa. Ratio est; quia, ubi Privilegiorum expressa clausula exiit revocatoria, de Revocatione dubitare non licet; cum in claris & expressis non detur interpretatio, vel voluntatis conjecturã, prout amplè diximus *Lib. I. Tit. II. de Constitut. d. num. 384.*

139 Resp. IV. Quamvis non desint Doctores, inter quos Donatus *Tom. 1. p. 1. tr. 11. q. 15. d. n. 4. Peyrin. in Declarat. Præleg. Tom. 2. in Constitut. 1. Gregorii XIII. n. 3.* qui volunt, non tantum illa Privilegia, quæ adversantur alicui ex Decretis Concilii Tridentini Sess. 25. de Regularibus, vel alicui ex Decretis priorum Sessionum cum expressa Clausula *Non obstantibus quibuscunque privilegiis &c.* emanatis, sed illa quoque, quæ alicui cuiquam tandem totius Concilii Decreto, etiam sine illa Revocatione Privilegiorum posito, simpliciter tantum adversantur, *Reffenstuel Jus Can. Tom. V.*

vel contraria sunt, ab eodem Concilio tacitè saltem censeri revocata, consequenter non amplius valere, adeoque per Bullas confirmatorias nunquam confirmari, sed potius pro invalidis contineri in illa Clausula: *dummodò sacris Canonibus. & Decretis Concilii Tridentini non adversentur.* Nihilominus etiam alii, sique Classici Authores probabilissimè & solidè docent, hæc ultima Privilegia, quæ Decretis aliarum Sessionum (exceptã 25. de Regularibus) Clausulam Privilegiorum derogatoriam expressam non habentibus contraria sunt, ab eodem Concilio non censeri revocata, nec contineri in præfata Clausula: *Dummodò sacris Canonibus, & Decretis Concilii Tridentini non adversentur.* Ita docent Roderiquez *Tom. 1. qq. Regular. q. 8. art. 7. Miranda Manual. Prælator. Tom. 2. q. 42. art. 3. v. Sed alii. Suarez lib. 8. de Legibus cap. 18. in fin.*

Probatur Conclusio Primò Nulla Lex, vel Con-stitutio, vel Decretum quantumvis generaliter, vel universaliter latum derogat particularibus locorum, aut personarum statutis, consuetudinibus, aut Privilegiis, nisi exprimat: ergo nec Concilium Tridentinum per illa derogat Regularium Privilegiis per sua generaliter posita Decreta illa, in quibus id non exprimit, vel Clausulam aliquam derogatoriam; seu revocatoriam non ponit. Antecedens est communissima & certa doctrina, uti videre est apud Barbosam in c. 1. *de Constitut. in 6.* & Doctores n. 128. citata & Jura ibi allegata, præsertim verò c. 1. *de Constitut. in 6.* ibi: *Quia tamen locorum specialium, & personarum singularium consuetudines & statuta (cum sine facti, & in facto consistant) potest probabiliter ignorare ipsi, cum tamen sint rationalia per Constitutionem à se noviter editam (nisi expresse caveatur in ipsa) non intelligitur in aliqua derogare.* Qui textus est tantum loquatur de particularibus statutis & consuetudinibus, nullam faciens mentionem de Privilegiis, tamen de illis etiam intelligi debet ob paritatem rationis cum Privilegiis, quæ extra Corpus Juris habentur, currentem, cum ubi eadem ratio, eadem fit Legis dispositio, prout amplè probatum habetur *Lib. I. Tit. II. de Constitut. d. n. 410.*

Confirmatur: Concilium Tridentinum in aliis Sessionibus (demptã 25. de Regularibus) ponit aliqua Decreta cum Clausula derogatoria consuetudinum, vel privilegiorum contrariorum, aliqua sine tali Clausula; ergo signum est, per hæc ultima Decreta nolle Concilium derogare particularibus locorum, aut personarum consuetudinibus, vel Privilegiis, sed velle illa juxta naturam omnium aliarum Legum, & Constitutionum, ac Decretorum intacta, & in suo vigore relinquere: cum alias in aliquibus Decretis superflè apponeret Clausulam Privilegiorum derogatoriam, vel revocatoriam, quod dici nequit arg. c. 10. *de Privil. in 6. Item l. 112. §. 1. ff. delegat. l. juncta gloss. in can. si Romanor. v. membranas dist. 19. & alia gloss. in cap. solita v. tanquam, de Major. & obed. cum concord. & de generaret à natura omnium aliarum Legum.*

Confirmatur secundò: Communis, & indubitata doctrina est apud omnes ferè Doctores, ipsos etiam Adversarios Conclusionis, quòd Concilium Tridentinum per sua Decreta generalia sine ulla Clausula derogatoria posita non deroget particularibus locorum & personarum consuetudinibus & statutis; ergo nec Privilegiis, quæ extra Corpus Juris habentur; cum de his eadem, quæ de illis habetur ratio, consequenter eadem Juris dispositio per dicta, & Jura n. 140. citata.

Confirmatur tertio: Dicere, quòd Concilium Tridentinum saltem tacitè revocet cuncta Regularium Privilegia, quæ alicui cuiquam tandem Decreto

Gg 3

Decreto illius etiam sine ulla Clausula derogatoria positum sunt contraria, est dicere, quod idem Concilium proferat omnia Regularium propriè dicta Privilegia revocet & sibi ipsi expressè contradicat, atqui hoc dici nequit, ergo. Probat *Major. Concilium Tridentinum Sess. 25. de Reformat. expressè decernit, quod Sacramentali Canonibus & Leges Ecclesiasticas omnes ab omnibus indistinctè debeant observari: ibi: Quapropter sciatis universi sacratissimi Canonibus exactè ab omnibus, & quoad ejus fieri poterit, indistinctè esse observandos; ergo dicere, quod per quodvis Decretum etiam sine Clausula derogatoria positum deroget cunctis Privilegiis tali Decreto contrariis, easque tacitè revocet, est dicere, quod proferat omnia Regularium Privilegia propriè dicta revocet, eo ipso, quod cuncta Regularium Privilegia propriè dicta, sint contra Jus commune, & sacros Canones, consequenter huic ultimo Decreto contraria, utpote quod expressè vult, ut sacri Canones ab omnibus indistinctè & exactè observentur; atqui dicere, quod Concilium Tridentinum omnia Regularium Privilegia revocet, est dicere, quod sibi ipsi contradicat, cum Sess. 25. de Regularibus. cap. 20. expressè contrarium dicat, per textum supra n. 136. allegatum: ergo.*

144 **Confirmatur quorid:** Consuetudo est optima Legum interpret, c. *Dim dilectus*. 8. *Consuetud.* atqui videmus passim vigere consuetudinem, quod Regularibus liberè utantur suis Privilegiis, quæ nec per Decreta in Sess. 25. nec per aliarum Sessionum Decreta expressè sunt revocata, etsi cæteris contra aliquod ejusdem Concilii Decretum sine derogatione Privilegiorum positum militent, ergo.

145 **Obijcies contra doctrinam Conclusionis num. 139. postæ, & huc usque probatæ.** Concilium Tridentinum Sess. 25. de Regularibus. cap. 22. per textum supra num. 137. allegatum præcipit cuncta sua Decreta etiam à Regularibus observari, non obstantibus eorum quibuscunque privilegiis &c. ergo per hanc clausulam derogavit omnibus Regularium Privilegiis, quæ alicui cuicunque tandem Decreto illius adversantur. Resp. Concilium Tridentinum cit. loc. derogare duntaxat Regularium privilegii, quæ adversantur alicui ex Decretis in Sess. 23. de ipsis Regularibus positis, utpote, quæ non obstantibus privilegiis observari ibidem præcipit: non verò derogare per illam clausulam privilegii, quæ militant contra aliquod Decretum in præcedentibus Sessionibus absque derogatione privilegiorum positum: Idque colligitur tum, quia ibidem non præcipit, ut observentur omnia contenta in superioribus Sessionibus, sed N. B. in superioribus Decretis Sessionis 25. de Regularibus specialiter habite: Tum ex ipso textu cit. cap. 22. hoc ipso enim, quod Concilium ibi in terminis expressè præcipiat, ut omnia & singula in superioribus Decretis contenta à Regularibus cunctis, non obstantibus privilegiis observentur, manifestè indicat, se tantum loqui de omnibus & singulis Decretis dictæ Sessionis 25. de Regularibus, ex destinato factis, non verò de omnibus & singulis Decretis totius Concilii; cum non omnia & singula, sed paucissima tantum priorum Sessionum Decreta Regularibus concernant: Legatur cap. 22. Sessionis 25. de Regularibus attentè, & clarè apparebit, quòd, dum ibi sancta Synodus præcipit, ut non obstantibus privilegiis omnia & singula in superioribus Decretis contra Regularibus observentur, certè ibidem non intelligat omnia & singula in toto Concilio contenta, utpote Regularibus in paucis concernentia, sed de omnibus & singulis contenta in Decretis ejusdem Sessionis 25. de Regularibus specialiter habitæ.

Objicies *secundò:* Bullam Pii IV. in Principis 146 *Apostolorum Sede*, & refertur Tom. II. Bullarii fol. 135. *estque Ejusdem Pontificis constitutio 94. ubi Papa omnia & singula etiam Regularia quorumcunque privilegia sub quacunque excogitabili forma, & ex quacunque causa concessa, universaliter ac indistinctè revocat, & annullat in omnibus & singulis, in quibus illa statuta, & Decretis Concilii Tridentini contrariantur; ergo non tantum privilegia Decretis Sess. 25. de Regularibus, vel alicui ex prioribus Sessionibus Decreto cum expressa derogatione privilegiorum positum adversantia, sed etiam illa revocat, quæ alicui cuicunque tandem Decreto dicti Concilii contrariantur. Resp. cum Roderiquez cit. Tom. 1. q. 8. art. 7. & aliis: Hanc Bullam minimè obesse Conclusioni num. 139. possit. Ratio est; quia dicta Bulla per suam clausulam vult quidem, ut non obstantibus privilegiis, omnia Decreta Concilii Tridentini exactè observentur, sed non in alio sensu, quam in quo observari vult ipsum Concilium; eò quod Lex, vel Constitutio aliqua, quæ fit ad corroborandam aliam, (qualis est præfata Constitutio aliqua Pii IV. respectu Decretorum, & Legum dicti Concilii, utpote quæ fuit edita in majus robur, majoremque observantiam eorundem Decretorum, uti patet ex illis verbis Bullæ: Nos, quibus inprimis cordi est, tam sanctæ, & Ecclesiæ Dei saluberrima Decreta, suos, ut par est, effectus ubique consequi, & ab omnibus obedienter observari &c.) necessariò debeat intelligi, & interpretari juxta sensum & mentem Legis, quam corroborat, ita ut easdem limitationes, & extensiones, quas habet, vel recipit corroborata, recipere etiam debeant corroborans, uti cum Glossa benè advertit Felinus; cum enim referens se ad aliquid, debeat intelligi secundum id, ad quod se refert, arg. l. In Testamento. ff. de Condit. & Demonstrat. etiam Bulla Pii IV. referens se ad Decreta Concilii, debet secundum mentem, & sensum dictorum Decretorum intelligi, & explicari; consequenter, quia ipsa Decreta Concilii sine clausula privilegiorum derogatoria posita non derogant privilegiis juxta dicta, nec ipsa Bulla corroborans dicta Decreta eisdem derogat, sed ea eodem modo & sensu relicta in suo valore, quo ea relinquuntur à Decretis.*

147 **Queritur V. An Regulares saltem in Foro conscientie possint suis privilegiis uti, à Concilio Tridentino expressè revocatis, vel eidem contrariis?** Resp. I. Quamvis non desint docentes. Regulares uti posse privilegiis etiam expressè revocatis à Concilio Tridentino, tamen *Negativa* hodie est certa quoad illa privilegia, quæ post Concilium de novo non sunt concessa, eò quod sententia contraria hodie sit damnata ab Alexandro VII. in illis terminis: *Regularibus possunt uti privilegiis suis, quæ sunt expressè revocata à Concilio Tridentino.* Expressè autem à Concilio revocata sunt omnia & sola illa, quæ sunt contraria alicui ex Decretis Sess. 25. de Regularibus. vel etiam alicui priorum Sessionum Decreto cum expressa Clausula privilegiorum sufficienter derogatoria posito.

148 **Resp. II. Non tantum in Foro interno, sed etiam externo validè & licitè utuntur Regularibus privilegiis, quæ sunt contraria alicui ex præcedentibus Decreto sine ulla privilegiorum derogatoria clausula posito. Patet Conclusio per jura, rationes & Doctores à n. 139. positos.**

§. VII.

De Privilegiis viva Vocis Oraculo concessis; ac Revocatione & Valore illorum.

S U M M A R I U M.

- 149 **Viva Vocis Oraculum quid?**
- 150 **Pro Foro interno ejusdem est valoris cum Privilegio in scriptis dato.**
- 151 **Non item pro Foro externo, nisi probetur.**
- 152 **Privilegia Viva Vocis Oraculo concessa hodie pro utroque Foro sunt revocata, aliquibus exceptis.**
- 153 **Bulla Gregorii XV. revocatoria.**
- 154 **Et Urbani VIII. etiam Oracula ad instantiam Regum, vel testimonio Cardinalium probata revocantur.**
- 155 **Privilegia Viva Vocis Oraculo concessa illa, quæ probantur testimonio illorum Officialium, aut Ministrorum Papæ, quibus de gratis à Pontifice concessis fides haberi solet, & debet, pro utroque Foro adhuc valent.**
- 156 **Probatæ etiam Bullæ Urbani VIII.**
- 157 **Inter Officiales præfatos possunt etiam esse Cardinales, & reverè sunt, si ad id à Pontifice deputantur, vel Protectores Ordinis existunt.**
- 158 **Plura adhuc existunt valida Oracula viva Vocis: & quæ?**
- 159 **Oracula Viva Vocis concessa ante Leonem X. Item ante Gregorium XIII.**
- 160 **Et Clementem VIII. concessa adhuc valent.**
- 161 **Et quidem omnia quoad Forum internum, non tamen omnia quoad Forum externum.**
- 162 **Oracula verò concessa post Urbanum VIII. omnia, & singula valent pro Foro interno.**
- 163 **Non tamen pro Foro externo, nisi sufficienter in illo probati valeant.**

149 **Queritur I. Quid? & cujus valoris sit Privilegium Viva Vocis Oraculum?**  
 Resp. I. *Viva Vocis Oraculum* est Privilegium, quod Princeps, v. g. Pontifex sola voce, seu oretenus duntaxat concessit; quamvis subinde, ut etiam pro Foro externo probari, & præficiari valeat, postea in scripturam redigatur, & testimonio authenticò ab iis, quibus ex officio incumbit, fide dignum reddatur. Ita in re communis, patetque ex terminis.

150 **Resp. II. Et privilegia Viva Vocis Oraculo concessa quoad substantiam pro Foro interno sunt ejusdem valoris, quanti sunt privilegia in scriptis concessa. Rursus communis, textu claro canon. h. t. in 28. ubi diximus & probavimus, ad essentiam & substantiam quodlibet non requirit scripturam, consequenter quoad substantialem vim & efficaciam *Oraculum Viva Vocis* idem valere, quantum valet privilegium in scriptis concessum. Accedit Leonem X. specialiter concessisse nostro Ordini, quod *viva Vocis Oracula* non sint minoris valoris & efficacie, quam privilegia per Bullam concessa, ut videre est in nostro *Compendio Privilegiorum. v. Oracula viva Vocis.***

151 **Dicitur autem notanter pro Foro interno; quia ut etiam pro Foro externo præficiari valeant, non sufficit, illa esse concessa, sed insuper requiritur, ut testimonio authenticò concessio illorum probetur; Donatus Tom. 1. p. 1. tr. 15. q. 2. nu. 5. patetque ex Constitutione Julii II. Romani Pontificis &**

*Regul. Cancellarie* 52. Ratio est; quia aliis quibus dicere posset, se habere privilegium *viva Vocis Oraculo* concessum, sicque prætextu *Oraculi viva Vocis* eludere Leges & Canones in Foro externo non sine perturbatione boni communis.

152 **Queritur II. An, & quæ Oracula viva Vocis de facto sint revocata? & que non?** Resp. I. Omnia & singula privilegia quibuscunque Capitulis, Collegiis, Ordinibus, vel personis eorum à quocunque tandem Pontifice usque ad Urbanum Papam *viva Vocis Oraculo* concessa hodie pro utroque Foro sunt revocata, ita ut nec in Foro interno, nec externo amplius uti liceat hujusmodi privilegii *viva Vocis Oraculo* concessis; etsi ad supplicationem Regum sint concessa, ac de illidem verè concessis Cardinales propriè manu scriptum testimonium ferant; nisi per Officiales, & Ministros illos, quibus incumbit ratione Officii, Gratiis, Privilegiis, & favoribus per Pontifices oretenus, seu *viva Vocis Oraculo* concessis, aut in futurum concedendis fidem facere, & authenticare, ac quibus Officialibus propterea fides haberi solet, & debet, sint authenticata Ita hodie unanimis, & certa ob claras & expressas Revocationes à Gregorio XV. & Urbano VIII. factas. Enimverò Gregorius XV. per suam Constitutionem Romanam Pontifex in specula, quæ est 27. in Tom. III. Bullarii Chetruini universalem *viva Vocis Oraculorum* fecit Revocationem sequentem.

Gregorius XV. Papa.

Ad perpetuam rei memoriam;

153 **Romanus Pontifex in specula militantis Ecclesiæ divina providentiâ constitutus, gratias & indulgias à se, & Prædecessoribus suis concessa; justis inter duntaxat causis, juxta creditum sibi Pastoralis Officii debitum moderatur, aut revocat, prout verum & temporum qualitatibus debetè pensatis, conspiciet in Domino salubriter expedire.**

§. I. Itaque Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolica potestatis plenitudine, Omnia & singula indulgias, facultates, privilegia, gratias, & concessiones quascunque spirituales & Ecclesiasticas, tam ad forum interius, quam ad exterius spectantes, ac tam ad supplicationem partium, quam metu, sententiâ, & potestatis plenitudine similibus, à Sede Apostolica, quæ tamen *viva Vocis Oraculo* hactenus quocunque, & qualitercunque ex quavis etiam de necessitate exprimentis causa, quibusvis Collegiis, Capitulis, tam Mendicantiis, quam non Mendicantiis, Societatibus, etiam Societatis JESU, ac Congregationibus quibuslibet, sive eorum, & eorum respectivè Præpositis, Decanis, Magistris, Ministris, Prelatis, Prioribus, Rectoribus generalibus, vel Provincialibus quocunque nomine nuncupatis, Superioribus etiam quomodolibet exemptis, ac Sedi prædictæ immediate subiectis, cujuscunque dignitatis, præsententia, aut quovis privilegio munitis, non tamen ad supplicationem Regum concessis, in iis, videlicet, quæ non sunt sortita effectum, tenore præsentium revocamus, cassamus, tollimus, abrogamus, & annullamus, ac revocata, cassata, sublata, abrogata, & annullata, viribusque & effectu vacua perpetuò fore, & esse, neque impeterum cuiquam suffragari posse, vel debere, neque aliquem iis de cetero uti ullo modo posse, etiam si expressè, & specifica mentio etiam de verbo ad verbum de iis faciendâ esset, decernimus, & declaramus.

§. 2. Firmis tamen, & in suo robore permanentibus omnibus indulgiis, & aliis concessionibus prædictis *viva Vocis Oraculo* S. R. E. Curialibus ad ipsorum,

rum, vel aliorum quorumcunque favorem propriis S. R. E. Cardinalium manu firmatis, pro ipsis, vel aliis factis, & de quibus idem S. R. E. Cardinal. testimonium in scriptis praeberunt.

§. 3. Decernentes, praesentes Literas, & in eis contenta quocunque, etiam ex eo, quod quicunque in praemissis interesse habentes, seu habere praetendentes, ad hoc vocati, & auditi non fuerint, de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis nostrae, seu alio quocunque defectu notari, impugnari, redargui, ad jus vel controversiam revocari, ad terminos juris reduci, aut adversus illas, quodcunque juris, gratiae, vel facti remedium imperari nullatenus posse, sed illas semper validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere.

§. 4. Sicut per quoscunque Judices ordinarios & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos & Nuncios, sublati eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & desiniri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Non obstantibus praemissis quibusvis constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, Ordinibus, Societatibus, & Congregationibus praedictis, eorumque Praepositis, Decanis, Magistris, Ministris, Praelatis, Prioribus, Rectoribus, & aliis Superioribus praedictis, sub quibuscunque tenoribus & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum, quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, etiam si illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua ex quavis forma ad hoc servanda foret, tenore hujusmodi, praesentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habenda, illis aliis in suo robore permanentibus, hac vice duntaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscunque.

§. 6. Volumus autem, ut praesentium transscriptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personae in dignitate Ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur in iudicio, & extra illud, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensa.

§. 7. Quodque eadem praesentes literae, seu illarum exempla ad Valvas Basilicarum S. Joannis Lateranensis, & a Principis Apostolorum de Urbe, & in acie Campi Florae affixae, omnes ita ardeant, & officiant, ac si unicuique personaliter intimatae fuissent.

Datum Romae apud S. Mariam majorem sub annulo Piscatoris, die 2. Julii, 1622. Pontificatus Nostri Anno 2.

154 In qua tamen Bulla quoad §. 1. & 2. bene advertendum, quod licet ibidem a Revocatione excipiantur viva vocis Oracula ad supplicationem Regum concessa, nec non illa, de quorum Confectione Cardinales in scriptis testimonium ferunt, tamen juxta tenorem Conclusionis num. 152. postuae, etiam haec non amplius valeant, eod quod illa quocunque expressè revocaverit Urbanus VIII. in sua Constitutione: Aliis Felicitis recordationis Gregorius XV. quae est 21. inter Constitutiones dicti Urbani VIII. in Bullario Cherubini, ubi §. 2. Revocationem etiam praefatorum Oraculorum sequentibus verbis exprimit: Omnia & singula Privilegia viva vocis Oraculo, & NB. S. R. E. Cardinalium

quorumcunque manu firmata &c. quibuscunque etiam intuitu, contemplatione, seu ad instantiam Regum & Principum quorumcunque cassamus, annullamus &c. Caeterum cum tota Bulla praecipue pro revocandis primò dictis Oraculis edita est, reliquum fat longum Bullae tenorem hac ponere superfluum, & Lectorem ad Bullarium Cherubini remittimus.

155 Resp. II. Privilegia viva vocis Oraculo concessa illa, quae per Officiales & Ministros, quibus vi Officii sui de gratis & privilegiis per Pontifices ore tenus concessis vel concedendis fides haberi solet & debet, authenticata, seu de quibus praefati Officiales testantur, eaque revera fuisse concessa, testimonium ferunt, consequenter, quae verè authentica existunt, non sunt revocata, sed omnia & singula, eaque sola à quocunque tandem Pontifice fuerint concessa, in utroque Foro adhuc valent, validèque & licitè praticari possunt. Communis & certa. Ratio est; quia ita expressè declaravit idem Urbanus VIII. in Constitutione, quae etiam incipit: Aliis Felicitis recordationis, quatuor tamen post precedentem Constitutionem anni primùm edita, & centesima quadragesima prima existit in Bullario Cherubini. ubi Pontifex postquam per extensum adduxit supra n. 153. allegatam Constitutionem Gregorii XV. suamque propriam n. 154. citatam, postea §. 3. sic statuit.

156 §. 2. Cum autem pro tempore existentibus nonnullis nostris, & Sedis Apostolicae Officialibus, seu Ministris, qui eorum Officiorum, seu numerum ratione, de gratis, concessionibus, & dispositionibus quibuscunque per Nos faciendis, mandatisque, & iustionibus nostris exequentibus, aliisque rebus, & negotiis gerendis, Nobiscum diversa tractant perse, seu de eorum mandato facienda, gerenda & executioni demandanda viva vocis Oraculo commiserimus, & in dies circa ea, quae ad juslibet eorum Officium, seu munus, quo funguntur, pertinent, committimus; Nos firmiori gestorum de mandato nostro per eosdem Officiales, seu Ministros voluimus, eorumque Officialium, seu Ministrorum securitati consulere volentes, motu proprio, certaque scientiâ, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolica potestatis plenitudine Officiales, seu Ministros praedictos, quibus aliis ante emanatas praedictas Constitutiones ex Officio suorum auctoritate, & prerogativa de Oraculo pro eos à Romanis Pontificibus pro tempore existentibus habito fides haberi solebat, quoad ea, quae ut praefertur, ad juslibet eorum Officium, seu munus, quo funguntur, pertinent, in litteris etiam nostris praedictis super revocatione Oraculorum hujusmodi emanatis minime comprehensus fuisse nec esse, nec comprehendere debere declaramus, & decernimus: Et ad abundantiorum cautelam eosdem Officiales, seu Ministros adversus easdem Constitutiones, quatenus opus sit, restituimus, & plenariè reintegramus in omnibus, & per omnia, perinde ac si quoad illos praedictae Constitutiones non emanasset.

Ex qua proin Constitutione satis probata habetur Conclusio n. 155. postea: simulque patet, quare in antecedenti Conclusionem num. 152. postea notanter addiderimus limitantem Clausulam: Nisi per Officiales, & Ministros illos &c. Ubi notandum, quod inter hos bene etiam esse possunt Cardinales, adeò, ut, etsi absolute loquendo Cardinales cujuscunque testimonium de Oraculo concessio non sufficiat pro valore Oraculi, sufficiat tamen, si alicui Cardinali, ut de illo testetur, à Papa specialiter committitur; vel si Protector Ordinis, de quo testatur, existit; quia etiam tali esse Officio à Pontifice commisso incumbit, de his saltem, quae talem Ordinem concernunt, testari, ut post Peyrinum bene adver-

advertit Donatus Tom. 1. p. 1. tr. 16. q. 12.

158 Inferitur I. Plurima adhuc valere Privilegia viva vocis Oraculo concessa; quia plura habentur debite authenticata, consequenter sub Revocatione Gregorii XV. & Urbani VIII. non comprehensa. Cujusmodi Oracula sunt omnia illa, quae in nostro Compendio Privilegorum ab Hieronymo à Sorbo juxta Decreta Concilii Tridentini, & alias Constitutiones Pontificias reformato, comprehenduntur, & signantur sub littera majoris O. Siquidem namque quod Privilegia, quae in dicto Compendio sequuntur, seu notantur sub praefata littera majori O. indicent viva vocis Oraculum verè authenticum: signata verò sub littera parvi o, viva vocis Oraculum non authenticum.

159 Inferitur II. Privilegia viva vocis Oraculo concessa ante tempora, vel tempore Leonis X. item concessante Gregorium XIII. imò etiam ante Clementem VIII. hodie adhuc saltem pro Foro interno valere. Ratio imprimis de concessis usque ad Leonem X. est, quia illa non sunt revocata per Gregorium XV. & Urbanum VIII. Siquidem Leo X. concessit, quod Fratres Minores Regularis observantiae securà conscientia possint uti omnibus à Sede Apostolica sive per Bullas, sive per Brevia, sive vocis viva Oraculo concessis privilegiis, prout ea in libris Ordinum reperiantur. Et pro majori conscientiarum securitate pro Foro interno omnia de novo concessit: viva vocis Oracula authentica: uti videre est in nostro Compendio privilegiorum; atque viva vocis Oracula verè authentica, seu testimonio Officialium ad id deputatorum comprobata non sunt revocata, uti patet ex dictis n. 155. & sequentibus; ergo.

160 Ex eadem ratione; quia videlicet non sunt revocata, valida adhuc existunt viva vocis Oracula usque ad tempora Gregorii XIII. & ab ipsomet concessa, eò, quod hic Pontifex Minorum, & nostri Ordinis Privilegia cuncta, etiam viva vocis Oraculo concessa, per specialem Bullam ex certa scientia, & de Apostolica potestatis plenitudine confirmavit, & innovavit, sique de novo concesserit; cum confirmatio Privilegiorum ex certa scientia, novum jus, novamque Concessionem efficiat per dicta supra 19. Concessio autem Privilegiorum per Bullam facta revocata non fit; uti bene ad propositum argumentatur Peyrinus Tom. 2. Privileg. cap. 12.

Nec obstat, quod dicit Bordonus Tom. 2. Resolut. 31. nu. 5. videlicet, quod Confirmatio Oraculorum non mutet naturam eorum. Respondetur enim, hoc verum esse, si viva vocis Oracula confirmantur, & innovantur novo viva vocis Oraculo, sed tamen, si dicta Oracula confirmantur & innovantur per Bullam ex certa scientia, tunc enim utique acquirunt novam naturam, & novum esse, cum ex viva vocis Oraculis evadant Privilegia scripta, eorumque naturam assument, uti bene observat Pellic. Tr. 3. cap. 1. n. 132.

161 Pariter etiam Clemens VIII. ex certa scientia confirmavit, & innovavit, consequenter ob clausulam, ex certa scientia, de novo concessit omnia Ordinis nostri Privilegia, à quocunque Pontifice sive per Bullam, sive vocis Oraculo concessa; adeò, ut viva vocis Oracula ante ipsam concessa per Bullam ipsius evaserint Privilegia Bullata. ac per consequens revocationis Gregorii XV. & Urbani VIII. minime subiecta.

162 Dicitur autem notanter in Illatione secunda num. 159. postea, saltem pro Foro interno: Tum quia Leo X. viva vocis Oracula de novo concessit pro Foro duntaxat interno: Tum quia etiam Gregorius XIII. & Clemens VIII. omnia & singula Oracula

la viva vocis confirmavit; & de novo concesserint per Bullam juxta dicta num. 160. & 161. ibi tamen omnia & singula concessa probare non possunt, consequenter omnia & singula pro Foro externo non valent, sed illa tantum, de quibus vel authentice constat juxta dicta: vel reliquis, quae quidem in libris Ordinum reperiantur; caeteroquin tamen in specie tanquam authentica probari non possunt (quae sunt omnia, quae in nostro Compendio littera minoris o. signantur) pro solo Foro interno valentibus, utpote pro hoc solo à Leone X. confirmatis.

163 Inferitur III. Viva vocis oracula post Urbanum VIII. concessa valere, & quidem pro Foro interno omnia & singula, de quibus sufficienter constat, quod fuerint concessa, etsi de his testimonium authenticum ab Officialibus supra dictis non habetur, sed alii fide digni Superiores, Generales, Provinciales, Procuratores Generales, aut alii hujusmodi fide digni, in quorum praesentia Papa privilegium ore tenus concessit, de illis testimonium ferunt. Ratio patet; quia cum par in parem non habeat imperium, consequenter Constitutiones Gregorii XV. & Urbani VIII. manus Successorum non ligent, & nec ad eorum novas concessionem se extendant, procul sub modo hujusmodi subseqentes concessionibus viva vocis Oraculo factis in Foro conscientiae valebunt, si de eorum concessione quocunque testimonio fide digno constat. Accedit, quod dictae Constitutiones ex professo, & praecise loquantur de oraculis antea concessis, minime verò concedendis, uti legenti patet.

164 Verum, ut talia viva vocis oracula post Urbanum VIII. concessa etiam pro Foro externo valeant, non sufficit quodvis caeteroquin fide dignum testimonium de eorum concessione, sed debet esse tale, quale ad probandum in Foro externo alias requiritur, & sufficit; quamvis absolute necesse non sit testimonium supra num. 155. allegatum Officialium; sed sufficiat etiam aliud caeteroquin in iure sufficiens; cum probatio per testimonium dictorum Officialium ab Urbano VIII. praescripta, solum ad probanda Oracula praecedentia, non item futura concedenda se extendat, per rationes num. praecedenti allegatas.

§. VIII.

De Amissione Privilegiorum per interitum personae, aut rei privilegatae, ac propter abusum, damnum superveniens, lapsum temporis, & cessationem causae.

S U M M A R I U M.

- 165 Ratio Rubricae.
- 166 Privilegium personale perit per interitum personae privilegatae.
- 167 Non item per mortem, vel depositionem ab officio illius, qui Privilegium absolute concessit. Et num. seq.
- 169 Secus tamen esset, si privilegium non absolute, sed cum certa limitatione, vel usque ad beneficium nostrum fuisset concessum.
- 170 Privilegium concessum sub Clausula; usque ad beneficium Sedis Apostolicae, vel donec revocavero, non expirat morte concedentis.
- 171 Si res, cui privilegium inhaeret, perit sine spe restitutionis, perit etiam privilegium.
- 172 Prout contingit, si aut horum Superioris destruitur Ecclesia, v. g. sine spe restitutionis.
- 173 Secus verò, si perit res cum spe restitutionis.

Et duo-

- Et duobus n. seq. cum certa declaratione.
- 176 Privilegium etiam amittitur per abutium.
- 177 Assignantur varii privilegii Abusibus.
- 178 Inter quos est. quando Privilegiati ex causa privilegii sumunt occasionem peccandi.
- 179 Abusu non ipso facto, sed per sententiam primam amittitur Privilegium, nisi in Jure aliud exprimitur.
- 180 Privilegium revocari potest, si incipit cedere in grave præjudicium aliorum, vel Communitatis.
- 181 Privilegium cessat etiam lapsu temporis, ad quod duntaxat fuit concessum.
- 182 Sicut etiam, si perit conditio, ad ejus durationem fuit concessum.
- 183 Privilegium cessat etiam cessante causa.
- 184 Puta finali, non item impulsivâ.
- 185 Si Privilegium est contra Jus commune, vel tertii.
- 186 Simulque tractum successivum habet.
- 187 Ac causa finalis non tantum negativè, sed etiam contrariè cesser.

185 Quis non solum Revocatione, sed pluribus aliis de causis contingit amitti Privilegia, ut bene notat Glossa can. Privilegium 11. q. 3. & amplius patebit ex dicendis. Hinc

186 Queritur I. An privilegium amittatur non solum per interitum persona privilegiate, sed etiam privilegiantis? Resp. I. Certum est Privilegium singulariter personale amitti per interitum personæ, utpote cui adhæret, juxta Reg. 7. Jur. in 6. Privilegium personale personam sequitur, & extinguitur cum persona, unâ cum Concordantiis n. 13. adductis.

187 Resp. II. Nihilominus Privilegium absolutè, & sine limitatione concessum non perit per mortem, vel depositionem ab officio ipsius Privilegiantis, si ve concedentis privilegium. Ita communis Doctorum. Siquidem Donatio & gratia simpliciter facta & acceptata non pendet in conservari ab influxu donantis seu concedentis, & habetur c. Si super gratia de Offic. Delegat. in 6.

188 Et hoc quidem non tantum in beneficiis, sed etiam in privilegiis, dispositionibus, & aliis gratiosis licentis & facultatibus jam actu concessis, valde esse notandum, rectè sit Engel Tit. de Rescriptis. n. 20. Donatus Tom. 1. p. 1. tr. 12. q. 5. citans concordem Doctorum, & amplius vide Lib. I. Tit. III. de Rescriptis. §. XI. à nu. 250.

189 Dixi notanter, privilegium absolutè concessum &c. Nam aliud esset, si privilegium detur non simpliciter, sed cum aliqua conditione, aut determinatione ad certum tempus, putâ, ad dies vitæ, vel duratione officii: nam clarum est, ejusmodi deficiente conditione, vel elapso tempore etiam cessare Privilegium, vel gratiam. Sic si Princeps concedat privilegium, vel quancunque gratiam, sub Clausula, usque ad plenèplacitum meum, illud cessabit in morte ejus, utpote per quam expirat omnino beneplacitum ipsius, textu claro h. Si gratiosè, de Rescriptis. in 6. & amplius diximus Lib. I. Tit. III. de Rescriptis. §. XI. à nu. 262.

190 Secus dicendum, si Papa det gratiam usque ad Apostolicam sedis beneplacitum: tunc enim, quia Sedes ipsa non aoritur, durabit perpetuè, prout ibidem subditur. Addit Laymanus lib. 1. tr. 4. cap. 23. n. 11. post Navarrum, & Covarruviam & alios, simpliciter non extingui gratiam morte Concedentis, quam hic concessit sub Clausula, donec revocavero, quia actus revocationis est novus & positivus, & consequenter dum à concedente, dum viveret, non fuit exercitus, manet Privilegium post ejus mortem:

Verba autem illa, usque ad beneplacitum, donec volucro, significant perseverantiam voluntatis, quæ per mortem extinguitur, ut dictum.

191 Queritur II. quando per interitum rei privilegiate amittitur Privilegium? Resp. I. Quamvis Privilegium reale coheret rei, sicque per destructionem rei etiam perit Privilegium, juxta Reg. 42. Jur. in 6. Accessorium naturam sequi congruit principalis: hoc tamen non est indistinctè intelligendum, sed tunc denuò procedit, si res privilegiata destruat sine spe restitutionis. Ita Zoësius h. t. n. 42. Engel n. 14. post glossam c. Privilegium. de Reg. Jur. in 6. quibus proinde arg. l. æde sacra. 73. ff. De contrahend. Empti.

192 Infertur I. Quod si res, Ecclesia, vel alius locus privilegiatus destruat auctoritate Superioris, absque spe restitutionis, illicitè pereat Privilegium ejus, ac proinde non sit ulterius vocandus v. g. Clericus Ecclesie illius.

193 Quod si verò per vim Hostium, ruinam, vel alium casum fortuitum locus, vel alia res privilegiata, putâ, Ecclesia, fuerit destructa, cum spe tamen restitutionis, conservantur ejus privilegia & jura, per textum mox citandos, sed cum discrimine. Nam si jus vel privilegium adhæret pavimento, remanet continuè: ut Consecratio loci sacri, quæ etiam salva manet loco destructo, l. Æde sacra terra motu diruta, locus Ædificij non est profusus.

194 Si autem usus juris, vel privilegij præcisè requirit ipsam rem privilegiatam, putâ Ecclesiam, adeò ut alibi non possit haberi, tunc quidem pro tempore suspenditur privilegium, extructâ tamen Ecclesia iterum reviviscit, arg. c. Pastoralis. 7. q. 1. & l. Cum loca. ff. de Religiosis, & sumpt. fun. ac notat citatus Zoësius n. 43.

195 Et dixi notanter, adeò, ut alibi non possit haberi: nam si usus privilegij possit alibi haberi, tunc privilegium ne quidem suspenditur, sed per habitudinem ad locum manet in personis, quæ uti possunt tali privilegio, etiam in alio loco, arg. c. Quia Monasterium. de Religiosis. domib. ubi Monasterium hostilitate desolatum uniter alteri Monasterio cum omnibus rebus suis, & quæ ei competunt actionibus, & consequenter adhuc remanserunt illi talia jura, non obstante sua destructione, quibus dein alter Abbas uti poterat per habitudinem ad dictum Monasterium licet destructum.

196 Queritur III. An, & quando per abutium perditur privilegium? Resp. I. Certum est, per abutium posse periri privilegium, textu claro, c. Privilegium omnino meretur amittere, qui permisit sibi abutitur potestate. Quæ verba etiam habentur, can. Ut ista. dist. 74. & c. Ut privilegia. h. t. ac alibi.

197 Resp. II. cum Zoëzio h. t. n. 38. Abusus propriè significat defectum in ipso usu privilegij, vel in his, quæ ipsam concernunt. Et hoc contingit imprimis per excessum, utendo privilegio ultra ejus limites, alio tempore, loco, aut in materia, vel personâ non concessis. Exemplum hujus referit cit. c. Ut ista dist. 74. unde c. Ut privilegia. h. t. dicitur: Quædam in eisdem privilegiis duximus declaranda, ne minus sanè intellecta pertrahantur ad abutium, propter quem possint meritiò revocari. Quin imò qui astutè, id est, multosè voluntatem Principis interpretatur, infamis efficitur. L. 2. C. de Legibus.

198 Deinde sit Abusus privilegij, quando quis ex causa privilegij accipit occasionem peccandi. Exemplum habetur c. Contingit. de Sentent. Ex omni ubi Clerici privilegio Clericali ad illicita abutentes, & post trinam monitionem se non corrigentes, perdunt privilegium Clericale. Idem accidit, si quis finè ipsius privilegij per pravos mores repugnat, arg. c. Re.

c. Reolentes. de statu Monach. & c. Ex parte. de Clericis conjugat. & c. Ex parte. h. t. ubi Clerici laicè viventes privantur privilegio Clericali. Quia enim hujusmodi Abusus sunt culpabiles, merito puniuntur per subtractionem privilegij: cum malitiosè hominum indulgeri non debeat, sed potius obviari, cit. c. Ex parte h. t.

199 Resp. III. Non tamen semper ipso Jure amittitur privilegium per Abutium, sed per sententiam, & revocationem est auferendum. Ita Zoësius loc. cit. post Suarezium, & desinitur ex textibus n. 72. & 73. relatis. Interdum tamen ipso facto amittitur, quando de Jure expressim est: ut si quis spe immunitatis in Ecclesia crimen committat, c. ult. de Immunitat. Ecclesie aut si Clericus Tyrannidi & enormitatibus se immisceat; nam ipso facto amittit privilegium Clericale, c. Cum non ab homine, & c. Perpendimus. de Sentent. excomm. ac amplius explicat Glossa ibid.

200 Queritur IV. An, & quomodo propter enorme delictum superveniens amittatur privilegium? Resp. cum Engel h. t. num. 16. Si privilegium cedere incipiat in grave aliorum, vel Communitatis detrimentum, saltem per sententiam revocari potest. Desinitur hoc ex c. Suggestu. de Decimis. Ubi Summarius sic habet: Revocatur privilegium, si ex post facto incipit enormiter esse nocivum: Concordat c. Cum sint. de Clericis non resident. ubi privilegij super absentia, per subtractionem proventuum redire coguntur ad ministerium Ecclesie, quæ patiebatur ministeriorum defectum, non obstantibus Apostolicis indulgentiis.

201 Queritur V. An, & quando privilegium cesset per lapsum temporis? Resp. cum communi, id locum non habere in privilegio temporali: nam illud elapso tempore, ad quod privilegium concessum, & restrictum est, illico finitur, arg. c. de Causis de Offic. Deleg.

202 Huc redactur Amissio Privilegij sub conditione concessi: nam cessante conditione, cessat etiam privilegium. Siquidem tale privilegium datum est solum ad tempus, indeterminatum tamen, id est, tantum duntaxat, quamdiu durat ipsa conditio, sub qua concessum est.

203 Queritur VI. An, & quando cesset privilegium propter cessationem causæ? Resp. cum Communi, privilegium cessare propter cessationem causæ, ob quam datum est: nam ut dicitur c. Cessante. 60. de Appellat. cessante causâ cessat effectus.

204 Intellege hoc de causa finali, quæ est principalis causa privilegij, ita ut ab ea dependeat privilegium, & in fieri, & in facto ac conservari, & sine qua Princeps privilegium nullo modo concessisset. Limita tamen id t. quoad causam solummodò impulsivam: Nam cessante solum causâ impulsivâ, quæ tantum secundariò movet Principem ad concessionem privilegij, non idcirco cessare; cum in ea non nitatur.

205 Limita id 2. cum Zoëzio h. t. num. 32. & Piching num. 169. ut locum habeat solum in privilegio, quod derogat Juri communi, aut alterius tertii, ad ejus conservationem etiam requiritur causa. Siquidem privilegium præter Jus, seu quod continet merum beneficium Principis, ad sui conservationem non requirit aliam causam præter liberalem concessionem: quia imò juxta Reg. 16. Jur. in 6. Decet concessum à Principe beneficium esse mansurum.

206 Limita 3. Ut habeat locum duntaxat in privilegio tractum successivum ad actum seu effectum reiterabilem habente: nam si privilegium in unica tantum a ione consistat, putâ in dispensatione super Matrimonio, juxque habeat suum effectum

consummatum, v. g. actualem dispensationem concessam super Matrimonio, manebit saluum, etiam si postmodum causa cesset, & ad casum devenit, à quo inchoari non potest. Siquidem, ut habet Reg. 73. Jur. in 6. Factum legitime retractari non debet, licet casus postea eveniat, à quo non potuit inchoari.

187 Limita 4. cum Engel h. t. nu. 21. Zoëzio, Piching, & aliis, ut hic modus amittendi privilegium tunc præcipuè procedat, quando finis seu causa privilegij non tantum cessat negativè, sed etiam contrariè. Ubi nota, quòd tunc causa privilegij cesset negativè, quando ratio, quæ movet principem ad concessionem privilegij, non amplius subsistit, usus tamen ejus non est injustus. Contrariè verò tunc dicitur cessare causa finalis privilegij, quando usus propter mutationem materie & circumstantiarum factus est iniquus ac injustus: nam cum privilegium de re illicita sit nullum, cessabit, quamprimum causa ejus contrariè cessat; ut verificetur in proposito illud, quod in simili dicitur l. Urianus. ff. de Fidejussoribus, ibi: Ut quæamodum incipere alias non possunt (intellige privilegia cum tui injulitia) ita nec remaneant.

§. IX.

De Amissione Privilegij per Renuntiationem: & quando ea fieri possit.

SUMMARIUM.

- 183 Personale privilegium amittitur Renuntiatione privilegiati.
- 189 Ad amissionem privilegij personalis requiritur acceptatio concedentis privilegium.
- 190 Privilegio in favorem Communitatis, Dignitatis, aut loci concessio per privatum renuntiare non potest.
- 191 Sic Clericus renuntiare nequit privilegio Fori, aut Canonis.
- 192 Nisi in casibus Jure expressis.
- 193 Nec Religiosus privilegio Ordinis, vel Monasterii.
- 194 Privilegio in favorem duorum concessio unus altero invito renuntiare nequit.
- 195 Potest tota aliqua Communitas, vel Religio renuntiare privilegio sibi concessio, quod tamen vel non est utile, vel est indifferens. Et duobus num. seqq.
- 196 Non autem, si talis Renuntiatio cederet in præjudicium Ecclesie, vel Communitatis, in quo casu etiam unus de Capitulo contradicens impedire potest Renuntiationem.
- 197 Quòd si privilegium incipiat esse nocivum, per se cessat.
- 198 Datur præscriptio contra privilegium Ecclesie, & qualis?
- 199 Superiores Generales, & Provinciales in Capitulis congregati, possunt explicite, limitare, vel abrogare unum privilegium, vel ei renuntiare, ex speciali privilegio nostro Ordinis.
- 200 Et Societati Jesu concessio.

183 Circa præsentem modum amittendi privilegia, certum est, quòd privilegium alicui personæ particulari in ejus solius favorem concessum, per ejus liberam, & expressam Renuntiationem amittatur; cum liberum sit unicuique juri suo renuntiare, uti c. Si de terra. h. t. & alibi. Unde & l. Si quis in conscribendo. C. de pœlis: dicitur: Regula est Juri antiqui, omnes licentiam habere, us que

pro se introducta sunt, renuntiare. Verumtamen qui iuri suo simul renuntiat, non potest postea ad illud pervenire. arg. c. Cum inter. de Election. & concordat. c. Quam periculosum. 7. 11.

189 Intellige hoc, postquam ea Renuntiatio à concedente Privilegium fuit acceptata: nam ante huius acceptationem poterit Privilegiatus mutatâ voluntate, non obstante Renuntiatione, uti privilegio, arg. c. Licet de procurat. in 6. ubi dicitur, quod procurator, qui constitutus ab absente renuit acceptate mandatum, possit pœnitere, seu mutatâ voluntate illud acceptare, quamdiu mandans in eadem persistit voluntate, quod in dubio præsumitur. Ita Zoëlius num. 34. h. t. Pirhing numer. 173. & alii. Et hæc videntur certa, sed mox ulterius.

190 Quæritur I. An pariter privilegium principaliter concessum in favorem alicujus Communivitatis, Dignitatis, vel loci, possit renuntiare à personis particularibus cum ejusdem præjudicio? Resp. Negativè. Patet ad ex. c. Si diligenti. de Foro competent. ibi: Cum non sit beneficium hoc personale, cui renuntiare valeat, sed potius toti Collegio Ecclesiastico publicè sit indultum, cui privatorum pacto derogare non potest. Hinc ibidem allegatur illud receptum: Pacto privatorum juri publico minimè derogatur.

191 Sic Clerici etiam volentes, & quamvis proprium eorum juramentum acceperint, non possunt renuntiare privilegio Fori, vel sibi constituere Judicem laicum, prout decisum habetur cit. c. Si diligenti. de Foro competent. Neque possunt renuntiare privilegio Canonis, textu claro. c. Contingit. 36. de Sentent. excommunicat. ibi: Cum ille Canon non tam in favorem Clerici ordinati, quam in favorem Ordinis Clericalis fuerit promulgatus, ut ibidem subditur.

192 Nec obstat, quod Clericus factò possit renuntiare Privilegio Clericali, nempe immittendo se enormitatibus, c. Cum non ab homine &c. Perpendimus. de Sentent. Excommunicat. Vel per dimissionem habitus, & tonsuræ usque post trinam monitionem, c. In audientia. &c. Contingit. 45. de Sentent. Excommunicat. Nam talia sunt Jura specialiter statuta in odium Clericalis excessus, & terrorem atque correctionem similitum, cit. c. Cum non ab homine. Simulque frustrâ Legis auxillium invocatur, qui committit in Legem, ut ibidem dicitur.

193 Similiter Religiosi non possunt renuntiare Privilegio Exemptionis suæ Religionis sine consensu Papæ, qui eos ab aliorum Ordinariorum jurisdictione exemit, suæque protectioni immediatè subjecit, arg. c. Cum tempore. de Arbitris. Quamvis nihilo minus multi graves Doctores velint apud Engel h. t. n. 18. posse Religiosos exemptos subicere sese Episcopo, ut ab eo absolvantur à peccatis & censuris, vel dispensentur cum ipsis in voto, juramento, vel irregularitate, casu quo Bisopus, non autem Prælatas Ordinis, talem facultatem habet: ne alioquin, quod ob gratiam eorum concessum est, in ipsorum retorquetur dispendium, contra Reg. 61. Jur. in 6.

194 Addit Fagnanus in cit. c. Inter alia. de Immunitat. Ecclesiast. n. 89. generale esse, ut Privilegio in favorem duorum concessio alter altero invito renuntiare non possit, arg. c. Ad Apostolicam. de Regularib. junctâ Glossâ ibidem, v. Monasterii. Siquidem in re communi, prior est conditio prohibentis, juxta Reg. 56. Jur. in 6.

195 Quæritur II. An saltem tota aliqua Communitas, v. g. Religio, Prælatas cum Capitulo, Civitates, vel Conventus, possint renuntiare Privilegiis sibi concessis? Resp. Affirmativè, arg. c. Cum concessissis. de Conjurat. & c. Pro illorum. de Præbendis.

Undè & hic loctum habet illud commune dictum: quilibet suo juri renuntiare potest. Item, beneficio nemo uti cogitur per dicta sua n. 7.

Intellige, dummodo talis Renuntiatio non cedat in Ecclesiæ, vel aliorum præjudicium. Nam Privilegio Ecclesiæ nemo potest renuntiare, arg. c. Contingit. il. l. de Sentent. Excommunicat. & notat Fagnanus in c. Inter alia. de Immunitat. Ecclesiast. n. 88. Imò generatim loquendo non potest Prælatas, Capitulum, vel Conventus renuntiare juri acquisito per privilegium, statutum, vel consuetudinem, si tale jus Ecclesiæ sit utile, ac honorificum, adeò ut vel unus solus alius de Capitulo contradicere possit, ac Renuntiationem impedire; non obstantibus iis, quo alioquin doceri solent toto Titulo, De his, que sunt à majori parte Capituli. Quin imò si omnes contra facerent, Superior v. g. Episcopus posset, ac deberet impedire, quatenus id cedit in damnum Ecclesiæ. Ita Layman lib. 1. tr. 4. cap. 23. n. 10. Pirhing h. t. n. 174. post Innocentium & alios. De quo vide etiam Lib. I. Tit. XXI. à n. 544.

Igitur Prælatas cum Capitulo illis solum renuntiare potest Privilegiis, ac juribus aliis, quæ Ecclesiæ non sunt utilia, vel saltem indifferentia. Quid sit Privilegium nocivum esse incipit, per se cessat, ita ut observari non debeat, juxta Reg. 61. Jur. in 6. Quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum. Ita citati Doctores.

Verumtamen id publicæ utilitatis causâ, atque ad evitandas lites, & ne jura ac dominia rerum diutius maneant in incerto, receptum est, ut propter negligentiam Prælati currat contra Ecclesiam Præscriptio 40. annorum, arg. c. De quarta. & c. Ad aures. de Præscriptione. & c. Accedimus. de Privilegiis. Intellige, nisi Ecclesia illa gaudeat Privilegio Præscriptionis centenariæ, ut Ecclesiæ Romana, contra quam non nisi centenaria Præscriptio currit, arg. c. Cum vobis. de Præscriptione. Imo etiam quidam Ordines specialiter sunt privilegiati, ut contra eos non currat nisi Præscriptio 60. annorum, ut concessum est ab Eugenio IV. Ordini S. Benedicti, atque Ordinibus Mendicantibus concessum esse notant Lessius lib. 2. de Justit. & Jur. cap. 6. dub. 7. Engel Tit. de Præscriptione. nu. 33. Molina, & alii. Verùm de Præscriptione hac latè vide Lib. II. Tit. XXVI. de Præscriptione.

Resp. II. Leo X. informatus, quòd sint nonnulla vivæ vocis Oracula concessa Ordini Fratrum Minorum, quorum aliqua aliquibus temporibus fuerunt utilia, sed forè præsentibus non sunt, nec futuris erunt: ac propterea aliqua sunt in aliquibus locis necessaria, & aliqua non, concessit, ut non solum Generalis in suo Generali, sed etiam quilibet Provincialis in suo Provinciali Capitulo de consensu eiusdem Capituli, vel majoris partis, declarare possit, & valeat, utrum ab usu alicujus concessionis vivæ vocis Oraculo factæ abstinere debeat: post quam quidem declarationem tam Fratres, quam Moniales, ac si concessio hujusmodi per suam Sanctitatem suspensa vel revocata fuisset, concessione eadem imposterum non utantur. Ita Leo, ut videre est in Compend. Privileg. v. Oracula vivæ vocis.

Idem etiam de aliis scriptis Privilegiis dicendum esse, rectè docet Rodriquez Tom. 1. Regular. q. 9. art. 2. Idque probat ex concessione Gregorii XIII. facta Societati Jesu, & ratione; quia, cum interpretativa voluntas totius Ordinis, vel Provinciæ contineatur in Capitulis generalibus, & Provincialibus, quidquid ab istis fit, à toto Ordine, vel Provincia heri censetur: que tota utique Privilegio renuntiare potest. Id, quod etiam consuetudine & praxi Ordinum comprobatur.

De Amissione Privilegiorum per non Usam, vel Actum contrarium, ubi etiam de Privilegiis in specie Ufu adhuc vigentibus.

S U M M A R I U M.

- 201 Privilegia alia sunt affirmativa, alia negativa.
- 202 Alia sunt concessa cum gravamine aliorum: alia merè gratuita sine ullius gravamine.
- 203 Per non usum, aut usum contrarium dupliciter amittuntur Privilegia, videlicet vel viâ Præscriptionis, vel tacite Renuntiationis.
- 204 Aliqua ex præfatis viâ per non Usam amittuntur Privilegia affirmativa concessa cum gravamine aliorum.
- 205 Ad quod tamen requiritur I. Quòd Privilegiatus habuerit occasionem utendi Privilegio.
- 206 Et notitiam illius.
- 207 Et liberè, id est, sine ulla coactione, aut impedimento illo uti omiserit?
- 208 Et quidem tempore ad Præscriptionem requisito, si hinc viâ omitti dicitur.
- 209 Privilegia affirmativa, que sunt mera gratia (uti sunt etiam Indulgentiæ) nunquam amittuntur per non Usam.
- 210 Probatur ratione.
- 211 Et solvitur instantia.
- 212 Privilegia negativa merè gratuita non amittuntur per non Usam.
- 213 Bene tamen concessa cum onere aliorum.
- 214 Dummodo Usus contrarius voluntariè,
- 215 Liberè seu spontè,
- 216 Et ab eo fiat, qui Privilegio expressè renuntiare potest.
- 217 Per expressam Renuntiationem unico actu perditur Privilegium, sicut etiam viâ Præscriptionis, si cetera concurrunt.
- 218 Viâ tacite Renuntiationis Privilegium regulariter loquendo non quidem amittitur Unico actu;
- 219 Tamen etiam per unicum actum amittitur, si Privilegium non habet tractum successivum, nec effectum iterabilem, sed in unico actu contrario consistit.
- 220 Item si ex conjecturis colligere licet, quòd quis per usum contrarium veli renuntiare Privilegio etiam tractum successivum habente. Statuto jurato contravenientes Capitulares censentur illi renuntiare. Ibid.
- 221 Quamvis Privilegium habens tractum successivum viâ tacite renuntiationis per unicum actum ordinariè quidem non amittatur, datur tamen Adversario quasi possessio ad præscribendum.
- 222 Ut Privilegia Affirmativa aliis onerosa habentia tractum successivum per non Usam amittantur viâ Præscriptionem requiritur, & sufficit tempus ad Præscriptionem ordinariè requisitum.
- 223 Possunt amitti viâ Præscriptionis.
- 224 Quantum tempus requiratur in specie?
- 225 Requiritur etiam, quòd ad sit occasio notitiæ, & libertas utendi Privilegio.
- 226 Privilegia negativa aliis onerosa amitti possunt per actum contrarium viâ Præscriptionis, & tacite Renuntiationis.
- 227 Tempus ad hoc requisitum quale?
- 228 Doctrina præctica ad propositum: Et num. seq. Reiffentuel Jus Can. Tom. V.

230 Respondetur ad c. Si de terra. h. t.

231 Status Questionis de Privilegiis hodie valentibus.

232 Multa centena Privilegia partim pro utroque, partim pro Foro interno adhuc valent, upote nec ullibi revocata: Et duobus seqq.

235 Compendium nostrorum Privilegiorum sicut exactè reformatum juxta Decreta Concilii Trident. & Constitutiones Pontificias.

236 Valent etiam adhuc plurima vocis Oracula & que?

237 Causæ Amissionis Privilegiorum parum obsunt Privilegiis nostris.

238 Privilegia scripta, seu Bullata, & Oracula authentica in nostro Compendio reperta valent pro utroque Foro.

239 Paucis exceptis, illis nempe, que per novas Constitutiones pro certa materia editis, sunt revocata.

240 Plura de Privilegiis Remissivè.

Nota primò cum Laymano lib. 1. trakt. 4. cap. 201. 23. & seqq. Pirh. h. t. n. 175. & aliis. Privilegia quædam esse affirmativa, quibus videlicet datur facultas aliquid agendi. Quædam verò negativæ, que nempe in non faciendo consistunt; ut est Privilegium immunitatis à solvendis Decimis vel Tributis, Privilegium exemptionis à jurisdictione Ordinarij &c.

Rursum Privilegia tam affirmativa, quam negativa alia esse concessa cum gravamine aliorum, ut quoad negativa apparet in allatis exemplis. Quoad affirmativa verò in Privilegio imponendi Tributa, exigendi Decimas. Alia verò sunt mera gratiæ, & in nullius præjudicium cedentes, ut est affirmativum Privilegium celebrandi ante auroram, dispensandi in irregularitatibus, absolvendis à casibus reservatis, comedendi carnem in Quadragesima; item negativum Privilegium non intercedendi Processionibus.

Nota secundò, dupliciter intelligi posse, quòd Privilegia amittantur per non Usam Privilegij, aut contrarium actum I. Per modum Præscriptionis, si nimirum concurrentibus cæteris requisitis, tempore ad præscriptionem sufficienti, & oblata simul occasione utendi privilegio, quis eodem non est usus; aut post actum contrarium sine protestatione factum decurrit tempus ad Præscriptionem sufficiens ac necessarium. II. Per tacitam Renuntiationem: qui enim sciens & volens, ac non coactus, absque protestatione actum Privilegio contrarium exercet, præsumitur in Foro externo renuntiare juri suo ad privilegio, si cetera etiam requisita concurrunt. His notatis,

Quæritur I. An, quando? & que privilegia affirmativa amittantur per non Usam? Ante responsum scito notanter, hic queri de privilegiis affirmativis; quia hæc sola per non Usam amittuntur; sicuti econtra negativa amittuntur per actum contrarium. Hoc notato Resp. I. Privilegia affirmativa concessa cum gravamine aliorum v. g. exigendi Decimas, imponendi Tributum &c. per non Usam, si cetera requisita concurrant, amittuntur vel viâ Præscriptionis, vel tacite Renuntiationis. Communis & certa, arg. c. Cum super. 23. de Offic. Delegat. ibi: Cum voluerit, quòd poterit. & L. 1. de Nundinis, ibi: Nundinis imperatis à Principe non utentio qui meruit, decennii tempore usum amittit. Item c. Si de terra, de privileg. ubi dicitur: De privilegio tamen indulto tanto tempore vobis detrudere voluistis; cum liberum sit unicuique juri suo renuntiare. Ratio est; quia etiam alie obligationes & servitutes tam reales, quam personales, v. g. transeundi per aliam viam taliter amittuntur,